

EPISTULA LEONINA

CXCII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXCI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM NONAGESIMAM SECUNDAM (192) !

ARGUMENTA

Ὅν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.....	03
IN MEMORIAM MAXIMILIANI REINELT.....	04-09
FABELLA GRIMMIANA: <i>Die Gänsemagd</i>	10-18
VOCABULA COMMUNICATIONIS (VIII).....	19-28
MEMENTO HOMO QUIA PULVIS ES.....	33

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,


nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam nonagesimam secundam (192).

Huic Epistulae inest nuntius lugubris: Maximilianus Reinelt remex Ulmanus triginta annos natus nomismate aureo et argenteo ornatus, de quo bis iam rettuli (EL 111, p.4-11; EL 115, p.4-8), d.9. m.Febr. subito et inexpectatê fatis concessit. Duas relationes ephemeridis de Maximiliani vitâ, de cursu honorum athleticorum deque eius sollemnitate lugubri scriptas in Latinum converti (p.4-9). Cum ipse in gymnasio Ulmae Humboldtiano magister Maximilianum eiusque sororem duosque fratres linguâ Latinâ imbuerim, qui omnes bonis moribus ingenioque athletico et musico necnon humanistico praeditos se praestiterunt, intimo ex animo condoleo familiae et sponsae dolorosissimê afflictis. -

Ceterum Fabellam Grimmianam (p.10-18) et Vocabula Communicationis tibi commendamus lectu digna.

**Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Cinerum, 06. m.Mart., a.2019**



JACQUES-LOUIS DAVID: Dolor Andromachae.
a.1783. Parisiis, in Museo Lupara.

ΟΝ ΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΟΥΣΙΝ ΑΠΟΘΗΣΚΕΙ ΝΕΟΣ

QUEM DI DILIGUNT ADOLESCENS MORITUR

MENANDER ap. Plutarchum, Consolatio ad Apollonium 119 e:

Ὅτι γὰρ οἱ ταῖς ἀρεταῖς διενεγκόντες ὡς θεοφιλεῖς νέοι μετέστησαν πρὸς τὸ χρεῶν καὶ πάλαι μὲν διὰ τῶν πρόσθεν ὑπέμνησα λόγων, καὶ νῦν δὲ πειράσομαι διὰ βραχυτάτων ἐπιδραμεῖν, προσμαρτυρήσας τῷ καλῶς ὑπὸ **Μενάνδρου** ῥηθέντι τούτῳ Ὅν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.

cfr **PLAUTUS Bacchides IV 7,18 Quem di diligunt, adolescens moritur.**

IN MEMORIAM MAXIMILIANI REINELT

REMIGIS NOMISMATE AUREO ORNATI TRIGINTA
ANNOS NATI QUI SUBITO ET INEXSPECTATE
FATIS CONCESSIT



MAXIMILIANUS IOSEPHUS REINELT¹

* d.24. m.Aug. a.1988 Ulmae; † d.9. m.Febr. a.2019 in Urbe Sancti Mauriti²

<https://www.swp.de/sport/mehr-lokalsport/ulm/olympiasieger-reinelt-ist-tot-29740380.html>

»Südwestpresse« Ulm / scripsit *Ute Gallbronner* 12.02.2019 Latinê reddidit *Nikolaus Groß*.

Cur istud factum est de hōc iuvene ipso? Hoc heri quaesitum est ab omnibus, cum audivissent de obitu *Maximiliani Reinelt* repentino. Qui vir triginta annos natus die Saturni (d.09. m.Febr. a.2019) in Valle Eniatinâ³ regione Helvetiae per campos scridans⁴ collapsus servari non iam potuit. Causa mortis nondum certa est.

¹ cfr EL 111, p.4-11; EL 115, p.4-8.

² *St. Moritz* (urbs Helvetica), cfr [https://la.wikipedia.org/wiki/Fanum_Sancti_Mauritii_\(Grisoniae\)](https://la.wikipedia.org/wiki/Fanum_Sancti_Mauritii_(Grisoniae)): “**Urbs Sancti Mauriti** aut **Sancti Mauricii**^[1] (Germanice: *Sankt Moritz*, Romanceice: *San Murezzan*) est praeclarus vicus 5'149 incolarum (anno 2013) inter montes Grisoniae in valle Helvetica Eniatina. Olim hac in urbe Romanceice, hodie Germanice loquuntur. Ibi clarissima nartationis (*adn.: sive potius scridationis*) statio est.”

³ **Vallis Eniatina**, i.e. *Engadin*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Engadin#Etymologie>: “Das Tal erscheint erstmals namentlich als *vallis Eniatina* in einer **lateinischen Quelle von 930**. Der Engadiner Philologe Robert von Planta schlug vor, dass der Name von einem nicht belegten Stammesnamen **Eniates* her zu erklären sei. In diesem Falle würde es sich um eine Ableitung vom Flussnamen *Inn* (< *Aenus* / *Enus*) mit dem keltischen Suffix -

Raimundus Hörmann, rector athleticus Ulmensis coetûs remigum Danubiani: »Consternatus sum« inquit, »Maximilianus fuit athletas in omnibus rebus exemplaris. Talem virum non invenies nisi centesimo quôque anno«. Similia de Maximiliano audita sunt ex urbe Tremonia⁵, ubi îdem athletas per multos annos exercuerat unâ cum ceteris Germaniae remigibus octonariis. *Siegfridus Kaidel*, praeses Consociationis Remigum Germanicae: »Omnis homo« inquit, »cui licuit Maximilianum pernoscere, iucundê affectus est perhumanâ eius affabilitate«.

Etiam *Gunterus Czisch* burgimagister Ulmae superior nuntium hunc lugubrem accepit animo consternato. Maximilianum fuisse »gratum urbis suae patriae praeconem« eundemque esse mansurum. »Nos eum memoriter tenebimus exemplarem, non solum quia ei tot tantaeque res athleticae feliciter successerunt, sed etiam quia hic iuvenis praeditus fuit sensu communitatis et sale humanitatis necnon victoriosus animum sibi semper servavit modestum«.

Secundo loco eum deditum fuisse arti musicae

Maximilianus, ita ut *Claudia eius soror* et *Georgius Robertusque fratres*, remigare coepit Coetûs Remigum Ulmensis particeps. At athletica res praestatoria Maximiliano numquam fuit res unica, cui vim attribuit. Nam îdem haud minus peritê modulabatur organo ecclesiastico quam utebatur loro remigandi. Praeterea per quindecim annos cantavit puer Sancti Georgii choralis necnon clavili atque organo modulatus est. Ipse *Björn Gehrman* exercitor remigandi aliquatenus austerus stupendâ Maximiliani peritiâ organi ecclesiastici artisque musicae suavissimê affectus est.

ates zur Bezeichnung der Einwohner, Anwohner handeln; Engadin bedeutete damit «bei den Anwohnern des Inns».^[1]

⁴ **per campôs +scridâns** orig. *beim Langlaufen*. cfr theod. *Langlauf*, angl. *cross-country skiing*; fr. *ski de fond*; hisp. *esquí de fondo*; ital. *sci di fondo*; *πεδινή χιονοδρομία*; Lat. ***scridatiō campestris**. cfr Reijo Pitkäranta, QUID DE RERUM NORVEGIAE IN NUNTIIS FINNORUM LATINIS (1989–2014) RELATUM SIT, Nordlit 33,2014, p.264,8: „Primum quidem nobis moris erat soleam ligneam, qua quis per nives prolabitur, voce *nartae* (cf. *nartare*, *nartator*, *nartatio*, etc.) designare, quam aliquot lexicographi e quibusdam fontibus Latinis posterioribus hauserant (cf. Helfer, s.v. Ski, skilaufen, Skiläufer; PONS, s.v. Ski; Lexicon recentis Latinitatis s.v. sci, sciare, sciatore), sed postea, cum nobis persuasum esset *nartam* potius ad traham quandam spectare, illud vocabulum reiecit et loco eius vocem *scridae* (cf. *scridare*, *scridator*, *scridatio*, etc) usu recepimus (cf. Lexicon hodiernae Latinitatis, 333), quae a nomine gentis *Scridifinnorum* originem trahit. Pluribus haec disserit Tuomo Pekkanen in scripto suo “De Finnis cornutis”, quod in libro festivo praesenti divulgatur (Pekkanen 2014)”.

⁵ ***Tremonia**, -ae f. *Dortmund.*, cfr Graesse/Benedict, *Orbis Latinus*, 2.ed., Berlin 1909, p.307: „Tremonia, -na, Trumonia, Thor-Thort-, Throt-, Drot-, Droomanni, Trutmanna, Trutmonnia, Trutmunnia, Throtmunnii, Throdmannia, Dormunda, Trutmanni villa (tremoniensis), Dortmund, St., Preußen (Westfalen).”

Similiter ac Raimundus Hörmann iudicat *Thomas Stang*, director puerorum Sancti Georgii choralium: »Maximilianus fuit puer excellentissimus. Quamvis (ferê) semper deberet exercitia facere remigandi, Maximilianus fuit unus ex iis pueris, qui rarissimê deessent exercitiis cantandi«. *Maximilianus Reinelt* dicitur fuisse studiosus et sedulus et sincerus et fidelis - necnon dictus est talis esse iam ante obitum suum omnibus incomprehensibilem.

Propter rem athleticam professionemque petendam Maximilianus Reinelt sedem Ulmâ transtulit Tremoniam, quia ibi fieri potuit, ut exercitium remigandi frequentatissimum coniungeret cum studio medicinae cognoscendae. Idem summo labore id assecutus est, ut fieret unus ex remigibus octonariis. Robore perseverantiâque excellentissimâ iterum iterumque se praestabat athletam mediae navi insidentem tam aptê tamque sollerter remigantem, ut certamina evaderent felicissimê.

Successûs athletici

Maximilianus bis factus est victor certationis mundanae (semel accepit nomisma aureum, semel argenteum) et quinquies victor certationis europaeae. Omnium honorum athleticorum quos umquam assecutus est maximus procul dubio fuit victoria olympica, quam a.2012 peperit in urbe Londinio. Cum aliis tum hac victoriâ partâ pueri octonarii demonstraverunt se scire ritê celebrare. Cum remiges victoriosi in patriam reverterentur nave vehentes quae appellatur “*MS Deutschland*”, Maximilianus unâ cum *Roberto fratre* suo clavili modulans sodales suos plurimum delectavit. Neque oblîtus est commemorare fratrem suum natu minorem ingenio praeditum esse multo maiore quam se ipsum.

Maximilianus cum remex esset, saepe iubilabat, sed unâ cum collegis semper urgebatur victoriae expectationibus. Quod pertulit fortiter. A.2016 Ianuariopoli⁶ in urbe Brasiliae octonarii ornati sunt nomismate argenteo. Deinde Maximilianus a certaminibus recessit, ut assequeretur permissionem medicinam faciendi.

⁶ ***Iānuāriopolis** i.e. *Rio de Janeiro*. In theodisco textu originali relatrix urbem certaminis falso indicat: “2016 holte das Flaggschiff nochmal Silber in *London*.”

Nunc îdem iuvenis tricenarius unâ cum sponsâ suâ denuo habitavit Ulmae. Sed rei athleticae mansit deditus. Collegae dicunt eum illo tempore adhuc fuisse corpore perbene exercitato. Maximilianus voluit proximâ septimanâ futurâ remiges Germanos comitari castra exercitatoria in Hispaniâ sita petentes, qui aetate 23 annorum minores sunt. Nunc functurus non erat officio athletae, sed medici manipulum curantis.

Maximilianus non fuit athleta loquax, sed semper locutus est clarê atque sincerê. Qui primo deliberavit et postea dixit, quid sibi videretur. Qui saepe pro collegis loquebatur. Amici eius sciunt fieri potuisse, ut Maximilianus munus susciperet politicum ad rem athleticam spectans. Hoc inhibitum est morte praematurâ.

Quae in Helvetiâ facta est tempore diei Saturni postmeridiano. Forte fortunâ ante meridiem Maximilianus convenerat collegam remigandi Ulmensem. Qui narrat se nihil mali nihilque inusitati in illo animadvertisse. Astynomi nuntiant Maximiliano collapso adiutores et servatores celeriter eum advenisse et in nosocomium Curiae Raetorum⁷ transportasse. At fieri non potuisse, ut îdem servaretur.

Amici Maximiliani remiges Ulmenses familiae Reineltianae memores frustra student respondere Raimundo Hörmann quaerenti: »Hoc tragicum est. Curnam istud factum est de eo ipso?«

Exsequiae Ulmae quomodo factae sint

<https://www.swp.de/suedwesten/staedte/ulm/hunderte-menschen-nehmen-bei-trauerfeier-abschied-vom-ruder-olympiasieger-29962170.html>
»Südwestpresse« Ulm / Ute Gallbrunner 18.02.2019

Tempore diei Veneris postmeridiano in coemeterio Ulmae principali facta est *Maximiliani Reinelt* remigis victoris olympici defuncti sollemnitas lugubris. Amici atque sodales recordati sunt, qualis fuisset Maximilianus Reinelt athleta - et praecipuê – qualis fuisset homo.

Inter sollemnitatem lugubrem, quâ animi hominum commovebantur, familia atque amici Maximiliano valedixerunt. Aliquot centum

⁷ **Cūria Raetōrum**. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Chur#Antike> „**Chur** ([französisch](#) *Coire*; [italienisch](#) *Coira*; [rätoromanisch](#) *Cuira*) ist der [Hauptort](#) des [Schweizer Kantons Graubünden](#) sowie der [Region Plessur](#). Chur liegt am rechten Ufer des [Alpenrheins](#) und ist [Sitz](#) des [Bistums Chur](#)“.
cfr https://de.wikipedia.org/wiki/Curia_Raetorum: „**Curia Raetorum** ist eine römische Siedlung (*vicus*) im Zentrum der Stadt [Chur](#) im [Kanton Graubünden](#) ([Schweiz](#))“.

homines venerant ad coemeterium Ulmae principale. Ex hospitem lugubrium vultibus apparebat, quam vehementer consternati essent morte praematurâ huius victoris olympici, qui triginta annos natus mortuus erat inter scridationem campestem.

»Bene vale, *Vize*«⁷ – his verbis simplicibus parochus *Manfredus Rehm* Maximiliano valedixit, postquam antea in oeco benedicendi sollemnitate celebravit valde personalem. Rehm dixit se Ulmae officio vicarii fungentem Maximilianum pernovisse tempore, quo is adhuc esset camillus. Inde se illius amicum factum esse. Inter se et Maximilianum convenisse, ut autumnus eum connubio coniungeret cum sponsâ *Violâ Pfersich*.

Ex orationibus lugubribus, quae habitae sunt a *Michaele Ilgner*, praesidente Auxilii Athletarum Germanici, et a *Raimundo Hörmann*, praeceptore remigum Ulmensium, iterum apparuit, quanti Maximilianus Ulmianus ab omnibus aestimaretur. Etiam ex salutationibus, quae inscriptae erant libris condolendi et situi interretiali, hoc unum evidenter apparuit: *Maximilianum Reinelt* fuisse virum probum atque sincerum, qui non solum exemplaris esset facultatibus suis athleticis, sed etiam moribus suis lautissimis. Hunc iuvenem desideratum iri.

Hi omnes imaginem pinxerunt iuvenis, qui mediâ in vitâ versans multum ridebat rebusque futuris semper confidebat. Itaque *Michael Ilgner* ea verba dixit, quae putat *Maximilianum Reinelt* hunc momento temporis dicturum fuisse: »*Sursum capita, nos unâ hoc assequemur*«.

Maximilianum salem habuisse, fuisse modestum

Ambo oratores Maximiliano gratias egerunt pro iis, quae fecit rei athleticae causâ – sive Ulmae sive Tremoniae, ubi inter studia sua universitaria vixit. *Michael Ilgner* autem eius mores descripsit his ferê verbis: »*Nullus labor ei molestus fuit. Etiamsi horae diei iam ferê omnes erant consumptae*«.

Etiam *Raimundus Hörmann* commemoravit *Maximiliani* subrisionem amabiliter vafram necnon tempus quod idem degerat in Ulmensi coetu

⁷ „Vize“, i.e. Vizeweltmeister, victor certationis mundanae secundus, quia a.2016 unâ cum remigibus octonariis suis accepit nomisma argenteum.

remigum Danubiano, ubi puer duodenarius coeperat remigare, „*quia a sorore victus erat cursu silvestri*“. E talibus rebus narratis licet concludere hunc victorem olympicum numquam nares adduxisse, eundem sales habuisse et quamvis victoriosum sibi servasse animum modestum.

In funere cantaverunt *pueri Sancti Georgii chorales*, inter quos olim ipse cantaverat *Maximilianus*. Aduere et collegae eius remiges *Ulmenses* et *amici manipuli octonariorum Germanici*. Iidem quoque gestaverunt arcam funebrem. Iidem ad sepulchrum brachiis inter se coniuncti amico honorem rettulerunt ultimum. Omnes unâ.

R. I. P.



DE MORTE PRAEMATURA

MAXIMILIANI REINELT

REMIGIS ULMENSIS

NOSMISMATE AUREO ORNATI

RETTULIT

UTE GALLBRONNER

RELATRIX


RELATIONEM

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS


FABELLA GRIMMIANA

89. De ancillâ anserariâ



Aliquando vixit vetus regina, cuius maritus iam pridem erat mortuus, sed filia fuit formosa. Eadem cum adolevisset, sponsa est filio cuidam rēgis, qui regnabat in regione remotissimâ. Tempore nuptiarum veniente filia cum esset in regnum alienum profectura, regina eidem in fasciculos colligavit permulta utensilia atque ornamenta, aurum argentumque, pocula et cimelia, ne multa, omnia quaecumque spectabant ad regalem thesaurum nuptialem, nam regina filiam intimo ex animo diligebat. Necnon ei associavit puellam cubiculariam, quae principissam comitaretur sponsamque sponsi manibus traderet, et utrique puellae dedit equum ad iter faciendum, sed equus principissae nomine erat *Faladae* et sciebat loqui. Horâ valedicendi imminente mater vetus iit in cubiculum, sumpsit cultellum, quo digitos suos

insecuit, ut sanguis efflueret; deinde lobulo albo tres guttas sanguinis recepit et: »Cara filia« inquit, »has guttas bene recondito, nam iter faciens iisdem egebis«.




Itaque mater et filia inter se maestê valedixerunt; filia reginae lobulum infixit sinui suo et equum inscendit et ad sponsum profecta est. Cum per horam equitavissent, siti ardente principissa cubiculariae dixit: »Descende et poculo meo, quod mihi tecum attulisti, aquam hauri e rivo, nam cupio bibere«. Tum cubicularia: »Si« inquit, »cupis bibere, ipsa descende, decumbe ad aquam et bibe, nam ego nolo esse ancilla tua«. Tum filia rêgis magnâ siti affecta ab equo descendit, caput flexit ad aquam rivi et bibit nec ei licuit bibere e poculo aureo. Deinde principissa dixit: »Eheu, bone Deus!«, tum tres guttae sanguinis responderunt: »Si mater tua hoc sciret, eius cor in corpore dissiliret«.

Sed principissa cum esset submissa, nihil dixit et equum iterum ascendit. Itaque ambae per aliquot milia passuum abequitaverunt; sed dies fuit calidus, sole ardente mox principissa denuo coepit sitire. Cum autem ad fluvium venirent, iterum cubiculariam appellavit: »Descende et sine me bibere e poculo meo aureo«, nam iam pridem oblîta erat omnia verba mala. At cubicularia etiam superbius locuta est: »Si vis bibere, bibe sola, ego nolo esse ancilla tua«. Tum principissa magnâ siti vexata descendit, se aquae fluenti superposuit, flevit et dixit: »Heus bone Deus!« et guttae sanguinis iterum responderunt: »Si mater tua hoc sciret, eius cor in corpore dissiliret«. Cum autem biberet et proclinata nimium eniteretur, ille lobulus, cui infuerunt tres guttae, e sinu decidit et unâ cum aquâ defluxit, nec puella hoc animadvertit magno timore affecta. Cubicularia autem hoc conspexerat et laetata est, quod nunc fieri potuit, ut sponsae potiretur; nam eo quod haec amiserat guttas sanguinis, facta erat infirma atque debilis. Cum nunc denuo vellet ascendere equum suum, cui nomen fuit *Faladae*, cubicularia: »Oportet« inquit, »ego ascendam *Faladam*, tu meum equum« et non potuit, quin hoc pateretur. Deinde cubicularia principissae duris verbis imperavit, ut exueret vestimenta regalia et sua peiora indueret, et denique eam coegit, ut sub dio iuraret se in aulâ regiâ de hac re nemini narraturam esse; si hoc non iurasset, sine morâ a cubiculariâ esset occisa. Sed *Falada* haec omnia aspectavit et memoriae mandavit.

Cubicularia nunc *Faladam* ascendit, vera sponsa in equum peiorem, et sic iter perrexerunt, usque dum tandem advenirent castellum regium. Tum omnes castellani de adventu eorum valdê gavisi sunt, et filius régis ad eos prosiluit, cubiculariam de equo descendentem recepit sentiens eam esse uxorem suam futuram; sursum ducta est per scalas, sed vera principissa non potuit, quin infra remansit. Tum rex vetus per fenestram eam conspexit in aulâ sistentem et vidit, quam elegans esset et tenera et formosa; paulo post iit in cubiculum regium et e sponsâ quaesivit, quid esset de illâ, quam secum adduxisset et quae infra in aulâ staret et quisnam illa esset? »Eam iter faciens mecum adduxi conversationis causâ; da ei ancillae aliquid operandum, ne remaneat otiosa«. Sed rex vetus nihil habuit, quod illa operaretur nec scivit, quid diceret nisi hoc: »Est mihi puer parvulus, qui pascit anseres; eum illa

adiuvet«. Puer appellabatur *Conradulus*, quem anseres pascentem vera sponsa adiuvarē debuit.



Mox sponsa falsa rēgi iuveni dixit hoc: »Marite carissime, rogo te, ut mihi aliquid gratum facias«. Hic respondit: »Hoc libenter faciam«. »Arcessas, quaeso, decoriatorem¹, ut huic equo, quo advecta sum, collum abscidat, quia mihi iter facienti multum attulit molestiae«. Reverâ autem cubicularia timuit, ne equus eloqueretur, quid ipsa fecisset de filiâ rēgis. Nunc res iam eo adducta est, ut *Faladae* fideli

¹ dēcoriātor, -ōris m. orig. *Schinder, Abdecker*.

esset moriendum; quod cum vera filia rēgis accepisset, decoriatori clam pollicita est aliquid pecuniae, quod dicit se ei soluturam esse, si is sibi aliquantulum grati fecisset. In urbe autem magna erat porta obscura, quam vespere et mātne cum anseribus non poterat, quin transiret; rogavit decoriatorem, ut *Faladae* caput sub portā obscurā clavīs affigeret, ut quam saepissimē videret equum suum dilectissimum. Servus decoriatoris hoc promisit, caput abscidit, sub portā obscurā clavīs affixit.

Summo mātne, dum cum Conradulo anseres sub portā agit, principissa:

»O tu *Falada*, qui dependes,«

tum caput respondet:

»O tu virgo regina, quae incedis,
si hoc mater tua sciret,
eius cor dissiliret«.

Tum ambo quietē iter perrexerunt per portam foras ex urbe, et anseres in campum egerunt. Cum autem pratum advenirent, puella consedit capillosque comptos aperuit, qui erant merē aurei, et eos Conradulus cum conspiceret, de eorum nitore gavisus nonnullos voluit evellere. Tum puella dixit:

»Vae, vae, ventule,
Conradulo aufer petasunculum,
quem petat rapidissimē,
usque dum capillos pexos comam
et imponam«.

Tum autem subito exoritur ventus tam vehemens, ut Conraduli petasunculus auferretur per terras longinquas et Conradulus non potuit, quin eum persequeretur. Tum Conradulus stomachatus non iam collocutus est cum puellā; et ambo anseres paverunt, usque fieret vesper, deinde domum ierunt.

Postridie mātne, cum anseres ex portā obscurā agerent, virgo dixit:

» O tu *Falada*, qui dependes«,

Falada respondit:

»O tu virgo regina, quae incedis,
si hoc mater tua sciret,
eius cor dissiliret«.

In campo autem puella iterum consedit in prato et coepit capillos suos pectere, et Conradulus cursitabat capillos apprehensurus, tum puella sine morâ dicebat:

»Vae, vae, ventule,
Conradulo aufer petasunculum,
quem petat rapidissimê,
usque dum capillos pexos comam
et imponam«.

Tum ventus flabat et flando de capite pueri petasunculum tanto abstulit, ut Conradulus non posset, quin currendo persequeretur; puero redeunte puella iam pridem capillos compsit, ne ille ullum comprehenderet; itaque ambo anseres pascebant, usque dum advesperasceret.

Vespere autem, cum domum revertissent, Conradulus ad regem veterem iit et: »Nolo iam« inquit, »anseris pascere cum istâ puellâ«. Tum rex quaesivit: »Quânam re?« »Hem, ista mihi molestias affert per totum diem«. Tum rex vetus eum iussit narrare, quonam modo illa se gereret. Tum Conradulus dixit: »Mâne, cum sub portâ obscurâ cum grege transimus, ibi parieti affixum est caput equinum, quod ista alloquitur:

›O *Falada*, qui dependes,‹

tum caput respondet:


»O tu virgo regina, quae incedis,
si hoc mater tua sciret,
eius cor dissiliret«.

Itaque Conradulus perrexit narrare, quid fieret in prato anserum, et quomodo sibi ipsi petasunculus esset petendus vento amotus.

Rex vetus puerum iussit postridie iterum anseres foras exigere et ipse primâ luce consedit post portam obscuram et audivit puellam cum capite *Faladae* loquentem et deinde eam in campum persecutus in prato se abdidit in aliquod fruticetum. Paulo post ibi propriis oculis vidit ancillam puerumque agmen anserum adigentes et deinde puellam considerentem capillos solventem fulgentissimos. Eadem denuo locuta est:

»Vae, vae, ventule,
Conradulo aufer petasunculum,
quem petat rapidissimê,
usque dum capillos pexos comam
et imponam«.

Tum subito vento exorto petasus Conraduli tanto amotus est, ut illi in longinquum currendum esset, et ancilla quietê perrexit cincinnos suos pectere atque plectere; quae omnia rex vetus observavit. Deinde revertit incognitus, et vespere cum ancillâ anserariâ rediret, ex eâ seorsim vocatâ quaesivit, quânam re haec omnia sic faceret? »Mihi non licet tibi hoc dicere neque licet ulli homini queri de miseriâ meâ, nam sub diu iuravi me hoc non prodituram esse, quia alioquin periissem«. Rex quamvis eam urgeret neque sineret quietam, tamen non id assecutus est, ut ea êderet ullum verbulum. Tum rex: »Nisi« inquit, »mihi nihil dicere vis, querere isti fornaci ferreae de miseriâ tuâ!« et abiit. Tum puella in fornacem ferream irrepsit, coepit lacrimare atque lamentari necnon secreta animi sui sincerê confessa est: »Eheu me miseram, quae nunc sedeam desolatissima, quamvis sim filia rēgis, et cubicularia fallacissima vi me eo adduxit, ut exuerem vestimenta mea regalia meamque sedem iuxta meum sponsum occuparet, et mihi ancillae anserariae gerenda essent officia vulgarissima. Haec si mater mea sciret, cor eius in corpore dissiliret«. Rex autem vetus stetit iuxta tubum fornacis, clam audiens ea quae principissa dixit. Tum iterum intrans illam iussit e fornace exire.



Tum puella vestimentis regalibus indutis apparuit mirabiliter pulchra. Rex vetus filio arcesso patefecit ei esse sponsam falsam: eam nihil esse nisi puellam cubiculariam, veram autem eius sponsam hîc stare iam, quae antea fuisset ancilla anseraria. Rex iuvenis ex animo laetatus est cognoscens, sponsa sua vera quantâ esset pulchritudine, quantâ virtute, et magna cena est praeparata, ad quam sumendam plurimi homines et amici sunt invitati. Supra consedit sponsus, ex uno latere eius filia rēgis, ex altero cubicularia, sed cubicularia mente alienatâ illam non iam recognovit ornamentis splendidissimis. Convivae cum esculenta atque potulenta largiter sumpsissent et bonis animis essent, rex cubiculariae aenigma mandavit explicandum, omnia quae illa fecerat narravit quaerens, quânam re digna esset mulier, quae dominum sic et aliter fraudavisset et: »Quonam iudicio« inquit, »talis mulier digna est?« Tum falsa sponsa: »Ista mulier« inquit, »aptius non

punietur quam ut omnibus vestimentis exutis nudissima imponatur dolio intus clavis acutis instructo et duobus equis albis adiunctis trahatur ex uno angiportu in alterum, usque dum moreretur«. Tum rex: »Illa mulier« inquit, »es tu ipsa, et excogitasti iudicium tui proprium, et ea quae ipsa excogitasti accidant tibi ipsi«.

Supplicio autem sumpto rex iuvenis in matrimonium duxit sponsam suam veram et ambo regnum suum regnaverunt beatê et pacificê.

* *
*



FABELLAM GRIMMIANAM

C.T. *Die Gänsemagd*

IN LATINUM CONVERTIT



LEO LATINUS

VOCABULA COMMUNICATIONIS ET INSTRUMENTORUM GRAPHEICORUM (VIII)¹

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ ARCHAMBAULT, Ariane:

PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003. N = NOVA EDITIO: a.2011.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem primam, quae spectat ad astronomiam. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM
– IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI.
NUTRIMENTA ET INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.
DOMESTICA – VIII. PLASSATIO DOMESTICA ET OPERA
HORTULANA – IX. VESTIMENTA – X. INSTRUMENTA
PERSONALIA – XI. ARS ET ARCHITECTURA – XII.
COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA – XIII.
TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV. ENERGIA – XV.
SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habeas novam partem huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam.

Nicolaus Groß
LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

¹ cfr EL 163, p.5-8: VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VIII); EL 185, p.21-27 (IX); 186; 187; 188; 189; 190; 191.

Theodisce	Anglice	Francogallice	Hispanice	Italice	Latine
p.527 Laptop-Tasche	laptop computer briefcase	mallette d'ordinateur portable	maletín para ordenador portátil	valigetta per il computer portatile	*risculus *computātrī portābilis [https://readtiger.com/https/arhive.org/stream/compositionofsci00brow/compositionofsci00brow_djvu.txt: Composition of scientific words; a manual of methods and a lexicon of materials for the practice of logotechnics: "L. riscus (Gr. rhiskos), m. trunk, chest, coffer; risculus, m. dim.: Risculus molvae - riscus, L. (Gr. riskos), trunk, chest; see box"]
Computerfach	computer compartment	compartiment pour ordinateur	compartimiento para ordenador	scomparto per il computer	loculāmentum *computātrī
Dokumentenfach	document compartment	compartiment pour documents	compartimiento de documentos	scomparto per i documenti	loculāmentum documentōrum
Schulterriemen	shoulder strap	bandoulière	bandolera	tracolla	lōrum umerāle
elektronisches Buch	electronic book	livre électronique	libro electrónico	libro elettronico	liber *ēlectronicus
Taste nächste Seite	page forward button	page suivante	botón página siguiente	tasto di pagina successiva	plēctrum pāginae sequentis
Taste vorherige Seite	page backward button	page précédente	botón página precedente	tasto di pagina precedente	plēctrum pāginae praecedentis
Touchscreen	touch screen	écran tactile	pantalla táctil	touch screen	*othonidium tāctile
Handheld- Computer	PDA (= Personal Digital Assistant)	ordinateur de poche	ordenador de bolsillo	computer tascabile	*computātrum palmāre
Audio-Ein- und Ausgänge	audio input/output jack	prise d'entrée/ sortie audio	toma de entrada/ salida audio	ingresso/uscita audio	ingressus/exitus audītōrius
Mikrofon	microphone	microphone	micrófono	microfono	*microphōnum, -ī n.
Infrarot- schnittstelle	infrared port	port infrarouge	puerto de infrarrojos	porta a infrarossi	portus *īnfrāuber
Kontrollleuchte Alarm/ Aufladen	alarm/ charge indicator light	voyant d'alarme/ de mise en charge	luz indicadora de cargado/ alarma	spia di allarme e di messa in carica	lampadium necessitātis/ *carricātiōnis
Touchscreen	touch screen	écran tactile	pantalla táctil	touch screen	*othonidium tāctile
Anwendungs- starttasten	application launch buttons	boutons de lancement d'applications	botones de lanzamiento de las aplicaciones	pulsanti di avvio delle applicazioni	plēctra applicātiōnēs expediendī
Betriebsschalter und Hintergrund- beleuchtung	power and backlight button	bouton de démarrage et de rétroéclairage	botón de inicio y de retroiluminación	pulsante di alimentazione e di controluce	+botō expeditiōnis et illūminātiōnis *recessuālis [4. *recessualis: cfr Bergmännisches Wörterbuch..., Chemnitz 1778, p.412: «Receßbuch sind Nachrichtungen, darein der Receßschreiber von Quartal anmerket, wie viel Receß auf jeder Grube ist. Liber in quo notantur sumtus in fodinam facti. Liber recessualis, fr. livre de depens des exploiters ». – cfr Adolf Holzmann, Taschenwörterbuch, 2.Theil, Deutsch-Lateinisch, Augsburg

					& Leipzig a.1813, p.392, «Quatembergeld, pecunia recessualis...» - - cfr http://bartoc-skosmos.unibas.ch/MeSH/en/page/D015861?clang=sv „Retinopathia recessualis“]
Stift	stylus	stylet	stylus	stilo	stilus , -ī m.
Docking-Station	docking cradle	station d'accueil	soporte de acoplamiento	alloggiamento	statiō accipiendī
Netzstecker	power plug	fiche d'alimentation	clavija de alimentación	spina di alimentazione	spīna rētiālis
Synchronisationskabel	sync cable	câble de synchronisation	cable de sincronización	cavo di sincronizzazione	capulum *synchronizandī
Abbruchtaste	exit button	bouton de sortie	botón de salida	pulsante di uscita	+botō exeundī
Wahlrad	dial/action button	roulette de commande	rueda de mando	rotella di comando	rotula moderātōria
